

nunc facio, qui propositum meum et fortunam apud istos adversam, ut concipio, bene nosti. Sed et hec frustra, sicut et reliqua; nam
 50 multa obstant, quae etsi taceam plene intellegis. Vale igitur et Paulum tuum mente respice, quando intueri oculis non est datum. [Veneciis, 1377?].

26.

*Epistola domini Pauli de Bernardo oratoris egregii
 ad dominum Michaellem de Albertis.*^{a)}

[Vat. cc. 101 r-101 v.]

Quid sit amicitia, Vir insignis, unde progrediatur aut ortum habeat, quibusve auspiciis inchoetur, longa est disceptatio apud auctores illustres, quippe cum materia celebris sit, et sermocinabilis suapte natura; quicquid autem de hoc senserint multi, ego in hanc sententiam adducor, sine virtute amicitiam non posse consistere, aut parum virium prorsus habere. Quid sibi velit hec prefatio forte
 10 queres. Dicam equidem. Ego ut ad omnia piger atque inutilis, ad amicitias contrahendas tardissimus utique sum. Quid ni? Nunquam enim veram amicitiam, aut perrarissimam admodum michi videre contigit, nisi forte has illecebras vulgi amicitias vocas, quae, si verum excutitur, permutationes sunt potius et humana commercia. Si quando tamen, quod raro hac tempestate incidit, quempiam video, spectate virtutis amicum, qui perrarissimas dotes aliqua
 • celesti indulgentia sit adeptus, quem toto Deus secreverit orbe, ut ait vates egregius ille, hunc ego ex toto corde suspitio et tacite veneror, illius totus sum, nec mirum, cum etiam eos qui longe ab
 20 etate nostra remotissimi sunt, quosque nunquam vidimus, nescio an visuri, velim nolim diligere cogar. Fateor, amice, nunquam michi tecum, quod haud iniuria dixerim, ullam ante hanc fuisse noticiam, nullum commercium penitus, at amicitiam semper fuisse reor. Ut vero vidisse te contigit tetigisseque dexteram datum est, amicus et notus

Petr.
 Fam. XIX 13.

^{a)} Cfr. a pagg. 76, 86-7, 91, 106, 133, 147, 148, 150, 151, 152.

¹⁵ Cod. expectate. ²² peritus cod.